Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Veneris tertiâ Junii.

M. JACOBO DES PREZ, Doctore Medico, Præside.

An primus activorum seu spirituum Motus ad generationem Cujuslibet Mixti incipit in humido?

TRIA sunt Mixtorum summa genera: Alia in Fodinis intimisque terræ visceribus congeriem solidam aut fluidam sortiuntur; Et Fossilia audiunt. Alia suis innixa radicibus germinali eruptione ad terræ superficiem emergunt: aut absque radicibus in muscosas fibrillas abeunt: vel in Boletos, Fungos, & Tubera Conscrescunt; Utraque ad Germinantium classem sunt reducenda. Alia demùm fœcundâ utriusque sexûs Copulâ sobolescunt; Et perfectorum Animantium ordine continentur; His addenda veniunt plura Animantia quæ ex putri humore suos habent ortus. Mixta triplicis illius ordinis vel ab universalissimis primariisque Elementis sibi invicèm permixtis: vel à secundariis iisque diversis propriam habent ortûs sui materiem. Ratione hujus illiusvè Elementaris misturæ omnia Corpora sub amplissimo mixtorum genere Comprehenduntur. Quæret forsan aliquis, quænam sunt prima Elementa ex quibus invicem coëuntibus quodlibet Mixtum compingitur, sive sit unius & sibi ubique similis contextûs, similarisque substantiæ: sive ex partibus dissimilaribus, Textu Elementarique proportione à se invicem differentibus sit coagmentatum? Tot & tam variæ extitere super eâ re Physico-Medicorum sententiæ, ut illarum dissensionibus & dissidiis commotus & convulsus inquisitor physicæ veritatis, præsertim qui sophistarum auditor, & ab Hippocrate devius, parcusque ejus Cultor & infrequens, *Insanientis dum sapientiæ Consultus errat*, vix sciat quo duce, aut quâ dirigente luce, physicam veritatem nubibus undique obvolutam sit exploraturus. At si Hippocrati & Galeno, eorumque ratiociniis in rebus Physicis & Medicis ille præbetur assensus quo dignissimi semper visi sunt apud spectatissimos antiquioris & recentioris ætatis Medicos legitimæ doctrinæ cultores, in promptu erit ad propositam quæstionem Responsio. Vel enim præstantissimi illi viri eorumque libri veniunt ejurandi, (Quod tamen absque perjurio non fecerit Scholæ Medicæ Parisiensis Doctor,) vel cum ipsis, imò cum Platone, Theophrasto, Aristotele pluribusque aliis omnium retrò ante ætatum Philosophis & Medicis, ea admittenda sunt Elementa quorum hyppothesi omnis Hippocratica & Galenica Doctrina nititur.

JUXTA Hippocratem & Galenum, aliosque jam commemoratos Philosophos, primaria Mixtorum Elementa sunt ea ex quibus invicem coëuntibus cujuslibet Mixti moles constituitur, & in quæ resolvitur quicquid naturæ lege intime diruitur. Sunt numero quatuor: Terra nimirum, Aqua, Aër & Ignis: seu summè calidum, summè frigidum, summè siccum & summè humidum. Ex his cætera Elementa secundaria cuilibet Mixto propria variis & repetitis alterationibus generantur: In homine (Verbi gratia) Sanguis Pituita & utraque Bilis. Hæc sibi certa fuisse scripsit Galenus, prædictamque de Elementis Physicis hyppothesim, ab Hippocrate primo illius authore fuisse sancitam, nobis asseruit. Universalissimis hisce Elementis Communis est Materia ad patiendum apta, quæ *rudis indigestaque Moles, nec quicquam nisi pondus iners audire debet*: Hæc pro variâ informantis Elementi specie cui substernitur, plus minusvè motûs obtinet. Ne tamen dixeris Elementa à solo motu, non ab insitis igniculis, aliisve actuosis particulis suos habere agendi & alterandi modos; Hæ sunt Jocantium aut somniantium, non Philosophantium assertiones solo sensûs testimonio confutandæ. Ignis essentialiter calidus dum deürit, movetur; at motus est ustionis comes, non causa: Aqua & Aër quò plus moventur, (citrà occlusionem, aut extrà focarium ignem) eò magis refrigerantur; quo diutius torpent aut quiescunt, eò faciliùs calorem suscipiunt, à circumfusis igniculis. Minimè itaque motus est caloris causa. Ignis & Aër cum citissimos habeant motus subjectam sibi materiem velociùs movent: Aqua vero & Terra proprio pondere deturbantur, passivosque tantum motus locales experiuntur; suis tamen locis affixæ, externis & internis motibus alterantur ab actuosis particulis igneis & aëreis ipsarum molem penetrantibus earumdemque inertiam vellicantibus & pungentibus. Ad eumdem ferè modum videre est in animantibus alimentorum partes solidas & ponderosas, spirituum ope comminui, intimè alterari, atque in tenuem substantiam mutari, imò ad spirituum naturam summè actuosam evehi. Ex prædictis universalissimis Elementis variè distributis, proportione, ut aiunt, non Arithmeticâ sed Geometricâ, hujus illiusve spiritûs arte præstantiori, hoc illudvè Mixtum oritur juxtâ speciem activi à quo miscibilium Elementorum proportio in primo mixti seminio humido fuit definita & commensurata in pondere numero & mensurâ. Cum enim Elementa universalissima sint ex se indifferentia ad hanc vel illam misturæ proportionem, ad hanc vel illam mixti speciem, sanè necesse est ut ipsorum ἀδιαφορία seu in differentia, quæ passivo modò se habet, actuosarum particularum motione superetur, atque ad hanc vel illam mixti speciem convertatur. Concursus ejusmodi particularum in seminio humido se se expandentium, juxtà singularem illarum collectionem consideratus multis nominibus fuit insignitus. Aliis dicitur spiritus opifex: aliis Architectonicus: Stoïcis continens: aliis rector: aliis genitor aliis harmonicus confluxus: Chymicis Archæus: ab Hippocrate πνεῦμα seu spiritus dicitur: aliàs ψυχὴ πυρὸς καὶ ὕδατος σύγκρισιν ἔχουσα: à Platone Elementaris materia tenuissima signaturis à divinâ exemplari causâ impressis prædita: ab Aristotele æthereüs ignis Elementarem materiam intrinsece movens eique formam inducens: Ab iis qui se Mosaïce Philosophiæ Professores prædicant, dicitur spiritus Domini aquas fæcundans: aliàs, opifex aura in primo Mundi Exortu divinitùs afflata: A Neotericis quibusdam, dicitur materia subtilis artifici motu prædita. De verbis & nominibus parùm curamus modò interim constet actuosas illas particulas artis præstantissimæ vectrices esse, materiamque, sive ab ipsis jampridem alteratam & subactam, sive deinceps alterandam & subigendam, ex quatuor prædictis Elementis, sibi invicem permixtis, esse radicitùs coadunatam. Actuosæ illæ particulæ cujuscunque alterationis & conformationis opifices apud nos spiritus audiunt. Haud tamen sunt materiæ expertes: sed ratione divinioris auræ ipsis admixtæ, præstantiorisque artis quam devehunt: quin & comparatæ tum ad immateriales substantias summè agiles & movere aptas, tum ad otiosas & inertes materiæ moles quæ ab ipsis exagitantur, hoc nomine fuerunt insignitæ. In Plantis & animantibus, quilibet spiritus sive sit mixti totius opifex semini primariò insidens: sive sit primarii fœtus & ab ipso genitus, ignis instar dum cibis se reficit, fit novorum igniculorum genitor: at fœtibus suis suum auget subjectum, ipsique dum altiùs insidet atque intrà illud se abscondit: aut huc illuc per Corpus se expandit, miro artificio debitam absolvit temperiem & conformationem; & eatenùs ab igne focario cuncta diruente & depopulante plurimum differt. Opificis spiritûs conformatricem artem quis enarrabit? divina est, nemo videbit eam & vivet; illa, quemadmodum & ipsa Dei species, (inquit Cicero) percipitur cogitatione non sensu; ultrà ne quæsieris: hanc investigarunt omnium retrò ante ætatum Philosophi, abscondit se ab oculis eorum; eleganter tamen de opifice spiritu auræ divinioris participe & mixta regente, hæc scribit Virgilius:

Igneus est illis Vigor & Cælestis origo
Seminibus.

De ipsâmet aurâ divinâ hisce igniculis vitam largiente, quam benè idem cecinit, ad mentem Stoïcorum quatuor Elementa admittentium:

Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque Maris Cælumque profundum,
Hinc pecudes armenta, Viros, genus omne ferarum
Quemque sibi tenues nascentem arcessere Vitas.

Aura Arsque illa divina, proxima rerum omnium efficiens causa, ab Hippocrate & Galeno, sub Naturæ nomine nobis fuit expressa. Scire sufficiat præstantissimam hanc divini afflatûs auram in primâ mundi Creatione à Deo spiratam, esse spiritibus admixtam & cum ipsis devehi, Vectoresque illos Spiritus sibi substratum Seminis humorem, ex particulis elementaribus variè alteratis genitum, ad hanc, vel illam mixti speciem promovere & perducere. Hîc sistitur omnis Philosophica disquisitio de activorum substantiâ Auræ Artisque divinioris participe. Universalissima vero Elementa juxtà hyppothesim ab Hippocrate & Galeno positam, sunt admittenda.

SANCITO prædicto illo Elementorum quaternario: Sancitis pariter Elementis homini propriis ex universalium misturâ ortis, Hippocrates & Galenus ejus fidelissimus interpres omnem suam medendi scientiam simul & artem scriptis tradidere. Præstantissimi illi medendi magistri in explicandis rebus Physicis & Pathologicis, aut in instituendâ victûs lege, medicamentis componendis, iisque assumendis, aut applicandis, nihil sollicitiùs curant, quam ut exuperantis Elementi primarii vel secundarii immoderationem reprimant, tum in activis qualitatibus, tum in materiæ exuperantiâ calidâ vel frigidâ, humidâ vel siccâ; sanguinea, vel Pituitosâ aut Biliosâ; ab his tanquam ab evidentissimis causis, medendi indicationes nusquam non desumunt. Quis verò extrà elementorum Hyppothesim ab ipsis sancitam positus, & ab eâ remotior factus, ullas explorabit indicationum notas ab ijsdem elementis primariis aut secundariis petitas? Vaga est, incerta, erroribus perpetuò obnoxia, variis opinionum rixis jactata, imò ab Empyricis & Agyrtis deridenda ea medendi Sophistica disciplina quæ à Physicis principiis ab Hippocrate & Galeno admissis prorsus recedens, in Medicâ Palæstrâ stabilem non invenit locum in quo pedem firmet. Et sanè quis, ad mentem Galeni, Empyricum Pseudo-dogmatico à veris Dogmaticis devio non antè posuerit? Paucis abhinc annis tanta fuit apud nonnullos Physiologos ab Hippocrate & Galeno dissentiendi libido, ut aliquam nominis famam, eminentiorisque sapientiæ existimationem ad se convertendam sibi promiserint, si extrà præscriptas ab his præstantissimis viris Philosophandi & medendi leges juvenili impetu, Elasticâque levitate transilirent, atque liberiùs huc illuc excurrerent. Hac titillante & lenocinante divagandi libidine: Hoc pruriente dissensionis orgasmo, cæcoque erga priscorum aut recentiorum errores amore, in tam dissimiles sectas distracti fuëre, ut vix duos reperias de principiis Physicis eadem sentientes; in se se invicem suis in tenebris pugnant. Ea est nimirùm humanæ mentis mutabilitas & inconstantia, ut omnis ferè novitatis vortice Circumagatur, instabilisque rapiatur: ægrè ad immotum veritatis Cubum meliùs instructa revocetur & retineatur. Hujusce veritatis testes & conscii sunt ii, quos Cartesiana de Elementis somnia delectant, ex omnium ferè sophistarum, præsertim vero Democriti & Epicuri commentis efficta. Ratum & fixum statuatur apud veros Hippocraticæ & Galenicæ Medicinæ cultores, prædicta quatuor Elementa universalissima, non quidem sincera, & sibi invicem per moleculas apposita (ut placuit Empedocli & quibusdam neotericis) sed intimâ alteratione subacta & permixta cujuslibet mixti molem, variâ temperie & figurâ præditam, proximè vel remotè constituere, atque insitum spiritum Physicæ mixtionis authorem sinu suo condere. Nihil nos morantur Chymici: Ipsorum enim doctrina de secundariis mixti Elementis singulari spiritûs opificis artificio in intimo recessu genitis, Sale nimirum, Sulphure & Mercurio, admissa ab Hippocrate Elementa non oppugnant, sed supponunt, aut aliis hæc supponentibus relinquunt. Nos quoque ipsis sua principia & Elementa secundaria concedimus, de primorum autem numero, humidâque misturâ agimus.

FOSSILIUM prima materia ex universalissimis Elementis sibi invicem permixtis procul dubio constans, est liquamen pinguè humidum Ignis Aërisque subterranëi energiâ è terreo & aqueo fodinæ sinu velut extractum & expressum. Metallicum ejusmodi seminium apud fodinarios Mercurius audit. Fodinis lapidariis, Metalliferis, sulphurëis, Bituminëis, salinis, Aquis metallicis &c. suæ insunt actuosæ particulæ: & pro diversâ specie & indole activi fodinarii, (vulgò spiritus mineralis seminale humidum imprægnantis & regentis) hoc vel illud Metallum, hæc vel illa Gemma, hic vel ille Lapis, hoc vel illud sulphur aut Bitumen, hic vel ille sal gignitur, hæc vel illa inest Aquis metallicis differentia: Et sic de cæteris fodinariis fœtibus. Vide quam limpidè splendet A damas, rutilat Rubinus, auratur Topasium, purpurascit Saphyrus; quam amænè viridicatus fulget Smaragdus, quam jucundè mixtis & variatis micat coloribus Opala. Cæteros gemmarum perlucidos colores contemplare: at Imprimis mirare aqueo-salinas particulas, hoc vel illo purissimo sulphure insignitas in tantam duritiem coaluisse. His adde Margaritas ex nitidissimo & ponderoso Mercuriali humido sphæricè compactas. In Metallicinis ex deteriori aut fœtido liquamine mercuriali concrescunt imperfecta quædam Mixta quæ vulgò *Marchasita* audiunt; illa sunt mediæ substantiæ inter lapides & Metalla, semper noxia, aliquando autem nocentissima, quod ex impuro mercuriali humido fuerint coagulata. In Fodinis metalliferis frequenter reperitur Mercurius tum instar aquæ fluitans, tum solâ naturæ operâ in cinnabarim conversus; hæc de fossilibus sufficiant. GERMINANTIUM alia ex semine, alia ex Bulbis virescunt, alia ex insitinis surculis, aut ramis terræ infixis fruticant. Semina sive Bulbosa sint, sive nucleïs vel quovis alio tegmine obvoluta, suos non emittunt fœtus, nisi terræ indita rorido humore ipsa penetrante molliter fuerint soluta: Factâ enim cujuslibet seminis in terram demissi humidiori solutione, actuosæ seminis particulæ, priùs tegmine constrictæ, & in angustum redactæ, illo humidulo facto molliterque reserato, in ampliorem molem intumescunt, sua claustra rumpunt, nutritium succum cum delectu quodam proliciunt, suosque intestinos motus alterativos peragunt. Surculis, & ramis, quos Taleas vocant ab arboribus & plantis abscissas, plurimus inest seminalis humor, qui surculis huic illivè arbori per insitum junctis, aut Taleïs in terræ sinum immissis, & utrisque externo humido ineunte verè tepefactis, in infimâ partè, ponderosâ copiâ turgens, atque exitum quærens, rimulas scindit, diductamque surculi aut Taleæ medullam in radices expandit: diductæ autem radices succum alibilem proliciunt, qui rursùs Philtratione quadam à superioribus partibus prolicitus surculum aut Taleam rore suo recreat, & actuosas particulas in ipsis conclusas ad suos motus instimulat; illæ autem in motus actæ & quasi exundantes, factis hinc inde rimulis in ramos & frondes, flores & fructus abeunt. Musci, Fungi, Boleti, Tubera, & cætera ejusmodi ab humido putrique seminio concrescunt. DE PERFECTIS ANIMANTIBUS dicere nihil opus est. Quis enim nescit illorum generationem sive sit ab ovo, sive illo careat, seminali humido spiritibus turgido esse referendam. Hinc antiquiores Poëtæ finxere Venerem Cupidinis matrem è spumâ Maris ortum duxisse; quò quidem figmento nos monuëre, primas ortûs nostri effectrices causas Physicas in salaci humore contineri, ibi diviniori artè explicari & expandi, donec suis expansionibus præscriptos, suoque ævo præfinitos terminos tandem obtinuërint. Imperfecta animalia, sponte, id est citrà coïtum genita, sive insecta sint sive sanguine prædita, ex putri humore suos habent ortus. Inter antiquos Philosophos Thales Milesius asseruit aquam esse rerum omnium principium, nec immeritò, modò tamen de seminali humore, & humido primigenio, cæteris Elementis unà attemperatis permixto sit intelligendus.

RITE à naturâ fuit institutum, ut in Quolibet mixti generandi seminio legitimus aquæ dominatus fieret, nimirum ut actuosæ & effectrices cujuslibet Mixti particulæ igneæ, unctuoso humido delatæ ipsius rore nutriri possent, & fœcundiores fieri: quo enim præstantiori & uberiori humore primigenio illæ fruuntur, eò fœlicius sibi insitos motus & alterandi modos absolvunt: puriorem & opulentiorem misturam componunt & concinnant: mixtique ævum cùm suo in longius producunt. In quovis seminio humido terra intimè permixta latitat, quæ cum aquâ, tum solidarum partium, tum (ut Chymicis placet) salis & sulphuris gignendi materia futura est ab igne insito & nitroso aëre ejus individuo comite diutius coquenda, particulisque sulphureïs augenda, ubi enim viget ignis illuc necesse est appellat Aër ignem recreans, fumosque ventilans; hinc variæ in mixtis sulphurum & oleorum differentiæ ab insito spiritu igneo nitrosi aëris auxilio genitæ ex sibi subjectâ Elementari materiâ passivâ. Insitus ille spiritus, hujus illiusve similaris mixti generationi addictus, triplex essentia à quibusdam Chymicis vocatur, quod in ipso, ut aiunt, radicitùs & individuè contineantur tria ab ipsis laudata principia activa, Sal Sulphur & Mercurius, quæ ab actuosis mixti particulis in passivas agentibus & cùm ipsis congredientibus, usque ad præfinitas insito spiritui motiones alterativas indesinenter generantur ex præjacente prædictorum quatuor Elementorum materiâ cum legitimo humoris dominio. Quæ si ita se gerunt, (quemadmodum maximè consentaneum videtur) exponendum habent atomorum motionumque Epicurearum assertores, intimarum alterationum osores, quomodò una eademque particula (sive sit atomus, sive Indefinitæ tenuitatis particula subtilis) uno eodemque motu acta, eisdem elementaribus particulis se adjungens, Sal, Sulphur, & Mercurium parat & congregat, hujus vel illius indolis juxtà varios Characteres quibus intimè insignitur, quasi totidem sigillis aut signaturis ipsius effigiem omnino expressuris, eamdemque in toto mixti ævo pluries effecturis. Imò sive illa eadem particula fuerit in globum efficta, sive plures retinuerit angulos, quandiù mixto vitâ prædito adhærebit, tandiù Sal, Sulphur & Mercurium parabit, nullatenùs ad id conferente hac vel illâ prædictæ particulæ figurâ. Hæc quæ vero sunt simillima, cum Epicureâ atomorum Hyppothesi aut cum Elementis Cartesianis nusquam Conciliari possunt: cum Hippocraticâ autem & Galenicâ quatuor elementorum conjugatione facile sunt Concilianda. Prædicta enim quatuor Elementa simul permixta activis particulis sinu suo conclusis materiam suppeditant, Salis, Sulphuris, & Mercurii generandi, eamque in primo quovis seminio humidulam offerunt ab eisdem particulis hac vel illâ singulari differentiâ sigillandam & consignandam.

Ergo primus activorum seu spirituum Motus ad generationem Cujuslibet Mixti incipit in humido.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus Piquenot de Dragueville.
M. Claudius Burlet.
M. Alexander-Petrus Mattot.
M. Claudius Bourdelin.
M. Joannes-Franciscus Foy-Vaillant.
M. Alexius Littre.
M. Petrus Pourret Unici Fratris Regis Medicus ord.
M. Antonius de Caën.
M. Dionysius Dodart.

Proponebat Parisiis JOSEPHUS CHAMBON, Grignianus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.